ex voluntate surgens, cuius solum iudicium est cum Deo. Et hoc solum si bonum est, non est ad
malum. quecumque in homine est sive bonum sit sive malum. et tamen si malum est non est ad
bonum. quecumque reliquum est sive bonum sive malum. Ad hec quomodo ex quo solo
totum corpus lucet, respicere debuerunt qui in affectionibus nescio quibus quasi et in cordis
usu et in usus augmentum sive ex natura sive ex usu in esse viderunt. Multum homines con-
struunt, potant. Hoc satis studiose quomodo homines fine accipere si tamen fine acci-
pere potant. Iste autem quesierunt et semper quesierunt et numquam invenerunt. Interrogant utrum David
et Petrus dampnari potuissent, si ante penitentiam in peccatis suis mortui
fuissent. Que questio quali responsione digna sit, vix animus videre possit. Quia et perire
non debuissent, si in peccatis suis mortui fuissent. Sed perire in quantum non potuerunt
quoniam ad vitam predestinati fuerunt. Quia quomodo similiter non peccare non potuerunt quoniam pec-
cati presciti fuerunt. Sed et predestinatio impediri non potest. nec prescientia falli potest. Sicut autem
prescientia peccandi non infert necessitatem, sic nec predestinatio dampnationis tollit
possibilitatem. Vis audire adhuc quid dicat Augustinus. quia mihi non credis. audi quid sit quod
diligitur et quid sit perseverantia, et quid sit unitas dilectionis, et quid sit unitas predestinationis.
Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. his qui secundum propositum vocati sunt. Propositum autem non suum sed dei
quia predestinati sunt atque presciti. usque adeo prorsus omnia. ut etiam si qui eorum deviant et ex-
orbitant. et hoc ipsum eis faciat proficere in bonum. quia humiliores redeunt atque docti-
ores. Horum si quisquam perit fallitur deus. et vitio humano vincitur. Sed nemo horum
perit. quia nulla re vincitur deus. aut fallitur. Isti significantur ad Thimotheum. ubi cum
dictum fuisset Ymeneum et Filetum fidem quorundam subvertere. mox additum est firmum
autem fundamentum dei stat habens signaculum hoc. Scivit dominus qui sunt eius. Horum fides que per
dilectionem operatur profecto aut omnino non deficit aut si qui sunt quorum deficit reparatur ante
quam vita ista finiatur et deleta que intercurrerat iniquitate usque in finem perse-
verantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt ac sic fide christiana et conversatione
lapsuri sunt ut tales eos vite finis inveniat procul dubio nec illo tempore quo bene
pieque vivunt in istorum numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis
prescientia dei et predestinatione discreti et ideo nec sunt secundum propositum vocati ac per hoc nec electi.
Sed in his vocati de quibus dictum est multi vocati. non in his de quibus dictum est